



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio LXXXV. Reliqua circa bonitatem & malitiam actuum  
humanorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

VII. Circumstantia itaque tenentes se ex parte ob-  
jecti cognosci debent, ut vel novam vel majorem  
honestatem in actum refundant, non tamen re-  
quiritur ut cognoscantur circumstantia ex parte  
actus, quales sunt intensio, duratio & libertas,  
quamvis indubitatum videatur has etiam circum-  
stantias majorem in actus bonitatem moralem  
refundere: sicut enim qui elicit duos actus chari-  
tatis, aut alterius virtutis, melius absque dubio  
operatur, quam qui elicit tantum unum: ita qui  
cum libertate elicit actum magis intensum, vel  
diutius in eo persistit, melius operatur, quam qui  
elicit actum remissum, aut breviori tempore du-  
rantem, & idem e contrariis est de actu malo.

VIII. Dices, hinc sequi debere intensiorem actus  
peccaminosi aperiri in confessione; si enim quis  
quatuor actus peccaminosos eliciat, intensus vel  
unum, debet eos in confessione aperire, ergo &  
aperire debet actum intensum ut quatuor, cum  
hic aequalis sit malitiae cum quatuor illis actibus

qui sunt tantum intensi ut unum. Respondetur  
disparitatem esse, quod in quatuor actibus inten-  
sis ut unum, nova semper libertas exercentur, &  
singuli actus sint à se invicem, & physice & mor-  
raliter distincti. Secundo respondet P. Arriaga  
hic, Disp. 17. sect. 7. num. 46. spectata precise  
ratione nullam hic assignari posse disparitatem:  
totam ergo differentiam desumendam ait ex vo-  
luntate Christi, ab Ecclesia & Patribus nobis de-  
clarata, qui peccatorum numerum in confessione  
aperiendum docent, non intensiorem, quamvis  
haec aequalis interdum sit cum illis malitia.

Tandem quoad circumstantiam libertatis, quod  
haec major est, eò actus per se loquendo est ho-  
nestior, ad quod tamen non est necessarium ut  
libertas cognoscatur: dixi per se loquendo, non-  
nunquam enim per accidens libertas & indifferen-  
tia minuere poterunt bonitatem actus, quatenus  
scilicet tollunt difficultatem illam, quae subinde  
oritur ex inclinatione ad oppositum.

Videtur hoc  
totum re-  
duci posse ad  
voluntatem  
Christi.

IX.  
Quod libertas  
major, eò  
actus ut plu-  
rimum ho-  
nestior.

# DISPUTATIO LXXXV.

## Reliqua circa bonitatem & malitiam humanorum actuum.

### SECTIO PRIMA.

Positne idem actus plures simul in se  
habere bonitates morales.

I.  
Nulli dubium  
quia actus  
externus  
plures simul  
habere possit  
bonitates.

**S**ERMO est de actu interno; de ex-  
terno enim qui solum participativè  
bonus est moraliter, sicut & liber,  
non videtur dubium quin eas habe-  
re possit: quidni enim idem actus  
externus imperari queat à pluribus actibus inter-  
nis bonis, & consequenter eorum bonitatem partici-  
pare: sicut namque ab uno actu imperatus  
participabit illius bonitatem; ita imperatus à duo-  
bus vel pluribus, participabit bonitatem om-  
nium.

II.  
Idem est de  
actu interno,  
si à pluribus  
internis im-  
peretur.

Variis modis procedere potest quaestio de actu  
interno: si ergo actus internus imperetur à duo-  
bus vel pluribus internis, ut actus eleemosinae ab  
actu charitatis & obedientiae, nulla est ratio cur  
nequeat hoc modo idem actus internus extrinse-  
cè & participativè habere duas aut plures bonita-  
tes morales; cum quoad hoc aequè capax earum  
sit actus internus, atque externus, ut nullus ne-  
gabit.

III.  
Potest idem  
actus inter-  
nus intrin-  
sicè habere  
plures boni-  
tates.

Præterea exillimo posse eundem actum, etiam  
intrinsecè duas aut plures habere species bonita-  
tis moralis. Hanc positionem ita defendunt ali-  
qui, ut dicant ad refundendam bonitatem in actum  
sufficere ut materialiter feratur actus in objectum,  
quod ratione diversarum circumstantiarum habet  
diversas bonitates. Sed hoc rejecimus supra, ubi  
ad bonitatem actus moralis ostendimus requiri  
ut feratur in objectum quò tali vel tali bonitate  
imbutum: nec enim, ut dixi, actum pietatis for-  
maliter, sed tantum misericordiae exercet, qui  
sublevat inopiam parentis pauperis, non quia pa-

rens, sed merè quia pauper est. Nec etiam exer-  
cet actum charitatis seu amoris Dei formaliter,  
qui aliquid praestat, quod Deo placet, nisi ea in-  
tentione faciat, quia Deo id placere animad-  
vertit.

Aliter ergo hoc probatur: nulla enim est re-  
pugnancia, ut actus aliquis vel in duo vel plura  
objecta specie diversa feratur, vel in idem ob duo  
vel plura motiva, quo in casu actus, licet physice  
idem, habebit nihilominus plures species mor-  
ales: antecedens quoad primum probatur: sicut  
namque eadem visio materialis terminari simul  
potest ad diversos colores, etiam specie distin-  
ctos, & idem actus intellectus disparatè ad obje-  
cta etiam diversissima; ita quidni poterit idem  
actus voluntatis in plura objecta & honestates  
ferri, specie & morali & physice distinctas, quo  
in casu actus quantumvis physice idem, habebit  
nihilominus plures bonitates morales, & in or-  
dine ad prudentem hominum aelimationem,  
aequivalens erit duobus actibus realiter distinctis,  
quorum unus in unum tantum illorum objecto-  
rum ferretur, alter in aliud.

IV.  
Actus vo-  
luntatis, qui  
in plura si-  
mul objecta,  
vel in idem  
ob diversa  
motiva fer-  
tur, diver-  
sus inde habet  
vires potest  
species mō-  
rals.

Confirmatur: nam non videtur dubium, quin  
possit quis simul velle plura, ut cum simul statuit  
plura facere, vel numero vel specie distincta. Quod  
clarius constat, si ea successivè facere intendat; ut  
hodie unum, cras aliud diversum, & sic de aliis, ubi  
licet ea facere velit successivè, simul tamen vult, &  
eodem actu: sicut qui jam vult ire Romam, simul  
quidem vult, & in instanti, sed conficere iter  
successivè.

V.  
Plura quis  
potest simul  
velle facere,  
non tamen  
ea vult fa-  
cere simul.

Secunda etiam pars; quod scilicet possit actus  
ferri in idem objectum ob duplex motivum specie  
distinctum, probatur: quid enim vetat aliquem  
dare velle eleemosynam, & ex affectu misericor-  
diae, seu ad sublevandam inopiam indigentis, &  
quia est gratum Deo; item velle huic homini hic

VI.  
Ostenditur  
posse eundem  
numero a-  
ctum in ob-  
jectum ali-  
quod ferri  
propter di-  
versam mo-  
tivam.

& nunc succurrere, & quia pauper & simul parens est, sicque actus ille idem Physicè & honestatem misericordie habebit & pietatis, & componetur ratione nostrâ ex partibus heterogeneis, sicut in intellectu actus fidei & scientie.

**VII.** Adde ulterius (quod supra latè declaratum est) posse voluntatem, non concomitanter tantum idem velle ob duo motiva disparata, & ex eo capite actum haurire duplicem speciem, sed posse etiam in actu reperiri duplicem speciem quando est aliqua in motivis subordinatio, & unum vult propter aliud, modò tamen simul illud velit ob honestatem illius actus vel objecti propriam, & ex motivo ipsius peculiari. Exempli gratiâ, vult quis & elicit actum humilitatis ex motivo charitatis, ita tamen ut eum etiam velit & eliciat ob honestatem in humilitate repertam, hic actus honestatem in se & humilitatis habet, & charitatis.

**VIII.** Qua in re notanda differentia inter ea quæ sunt purè media, & alia: illa enim cum nullam habeant bonitatem, nisi utilem, amari nequeunt propter se, sed solum propter aliud: at verò hæc, cum non tantum utilia sint ad alium finem obtinendum, sed etiam in se honestatem contineant propter se appetibilem, terminare actum possunt conformiter ad utranque bonitatem. Modus autem tendendi hujus actus est hujusmodi, si ex utrâque honestate procedat tanquam ex motivo adæquato, ita scilicet ut arguar adhuc voluntatem, elicituram jam fuisse actum humilitatis, licet motivum charitatis hic & nunc abfuisset.

SECTIO SECUNDA.

Alia quedam circa duplicem bonitatem aut malitiam in eodem actu repertam.

**I.** SECUNDA difficultas est, quando in eodem actu sunt plures species, bonitatis vel malitiae, quo pacto una sit primaria & substantialis, alia accidentalis & secundaria. Quæstio fermè est de modo loquendi, in qua supponimus nonnullas saltem esse actiones malas, ubi id aliqua ratione contingit, in quibus species malitiae quasi fundamentalis est illa, quæ est contra jus naturale, species verò accidentalis dicitur, quæ est contra jus positivum: sic in furto & sacrilegio, dum quis furatur rem sacram, species furti est quasi fundamentalis, quia contra jus naturæ; species verò sacrilegii accidentalis, quia contra aliquod præceptum positivum. Si verò utraque species malitiae sit contra

ius naturale, tunc illa erit fundamentalis, quæ aliquo modo, saltem ratione nostrâ, seu in subsistenti consequentiâ est prior, ut contingit in fornicatione & ad ultèrio. Quando itaque occiditur Clericus, homicidium est species fundamentalis, quia ratio injustitiæ occisioni hominis frequenter & per se loquendo inest jure naturæ, non sic circumstantia Clerici.

Hoc inquam quoad modum loquendi, nam in re, si Physicè loquamur, utraque species in acceptione rei sacræ exempli gratiâ, nempe ratio furti & sacrilegii est huic actui Physicè extrinseca & accidentalis, nam eadem esse posset Physica acceptio, etiamsi res foret illius propria qui eam accipit: species ergo furti ei accedit per unam denominationem extrinsecam, quòd scilicet res sit aliena; species verò sacrilegii, per aliam similiter extrinsecam denominationem, quòd nimirum sit sacræ. Unde si spectetur actio illa Physicè sumpta, utramque speciem sumit à circumstantiâ, sicque utraque est illi hoc sensu accidentalis: ac proinde ad summum una est substantialis, alia accidentalis, modo præcedente numero explicato.

In eodem actu externo reperiri duæ vel plures species tum bonitatis tum malitiae possunt sine ulla subordinacione unius ad aliam, sed planè disparatæ; ut si quis per duos actus internos diversarum specie virtutum, vel etiam per unum habentem duplex motivum intrinsecum specie distinctum vellet & exerceret eundem actum externum, daret elemosynam exempli gratiâ & ex motivo charitatis & obedientie. Quod etiam de speciebus malis in eodem actu dici debet, ut si quis ex duplici fine vel motivo totali ac disparato actionem aliquam externam malam exerceat. Idem dicendum existimo juxta jam dicta, de actu interno tam bono quam malo, præcisè quoad bonitatem & malitiam extrinsecam, quam ab uno vel pluribus actibus aliis internis, qui ex duobus motivis adæquatis disparatè se habentibus procedunt, participat. Quando verò in actu interno est aliqua in motivis subordinatio, species primaria illa est quæ desumitur à fine, saltem ut plurimum. Unde ut ait Aristoteles, & ex ipso S. Thomas hic, art. 6. qui furatur ut adulteretur, magis est adulter quam fur. Ratio est, quia finis est objectum formale; magis autem specificantur actus ab objectis formalibus, quam à materialibus. Aliud videtur de actu externo, ubi dum quis furatur ut adulteretur, species tamen primaria in illo actu erit furtum, quia desumitur ab objecto, & consequenter magis quasi intrinsecè & immediatè cum illo actu connectitur: adulterium verò est merè à fine extrinsecò, sicque minus cum actu illo connexum, quam species furti.

*Quædã dicitur, ubi utraque species malitiae est contra jus naturæ.*

**II.** In acceptione rei sacræ tam species furti, quam sacrilegii operantur illi est accidentalis.

**III.** In eodem actu externo reperiri duæ vel plures species virtutum moralium sunt ut subordinatæ.

*Qui furatur ut adulteretur, magis est adulter quam fur.*

